

non delicto, seu quæ facit ad defensionem innocentia, qvod scilicet delictum ab inculpato non fuerit factum, etiam si minus fortis fuerit, excludit præsumptionem delicti: Hinc docent Interpretes, quod *Judex vigilare debet pro defensione reorum*, sicuti egregius est textus in l. 19. ff. de Pœn. Ita & si ille hoc non fecerit, ædificet ad gehennam, & animam occidat. Hippol. de Marsil, *Conf. 39. n. 27. & seqq.*, Moller. *Const. Elect. 8. part. 4. num. 4. pag. 538.* Et quantumvis *Judex exceptiones à reo omissas supplere non teneatur*: Longè tamen aliter se res habet eō casu, qvō agitur de defendendā innocentia inquisiti, ob periculum sangvinis & innocentia favorum. Hippol. de Marsil. in *Pract. Crimin. §. Oportunè. n. 7. p. 384.* Vide Carpzov. *part. 1. qu. 33. n. 9. p. 197. Pract. Crimin.* ut proinde *Judicis sit ex seipso, nemine licet defensionem petente, pro innocentia rei, ejusque defensione vigilare.*

3. *Distinctio facienda est*; Vel enim præsumptiones adversus reum sunt evidenteriores ad torturam, qvā ad defensionem? Vel præsumptiones rei pro defensione sunt clariores, ita ut accusatoris probationem quodammodo tollant. *Priore modo* locus datur torturæ, qvōd fortior præsumptio fit contra reum & contra eum operetur torturam. *Masc. Vol. 2. Concl. 1314. n. 11. de Probat. fol. 630.* Menoch *lib. 1. qu. 30. & 92. de Pres. p. 120.* *Posteriore modo*, qvando evidenteriores causæ sunt pro defensione rei, condemnatio ad torturam fieri non debet: qvōd favorabilior sit causa defensionis, quam cōdemnationis per l. 47. ff. de O. & A. l. 125. ff. de R. I. Hinc est insignis regula Juris: *Quomodo quādam indicia sunt pro Reo, quādam verò contra reum, tum semper in mitiorem absolutionis partem oportet inclinare.* Dubia enim, præsumtiva, & parùm concludens rei probatio tollit probationem accusatoris, ne ad torturam possit procedi. Adde quæ habet Menoch. l. 1. qu. 89. n. 8. de Præsumt. Et Farin. l. 1. tit. 5. qu. 37. n. 57. Tom. I. Oper. Crimin. fol. 583. Ubi docent: Qvando indicia adsunt excusantia pro Reo, tum valde urgentia oportet essa ea, quæ contra eum ad torturæ effectum valere debent, ita ut indicia ab accusatore profecta multum superent indicia illa, quæ sunt pro defensione rei.

4. *Qvōd si Judex dubitet, in quam partem inclinare, numq; vid torturam decornere, vel reum ab ea absolvere debeat, interim se ē dubio, isto negotio expedire nequeat, tum prudentiores consulere.* & juxta illorum consilium aut sententiam procedere tenetur, quia, uti egregie Zilletus d. conf. tradit: *Et tam secundum jura & leges pronunciatur, cum ex prudentum consilio sententia feriatur:* Ob præsumptionem fortissimam, quam Jurisprudentes pro